



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Lectio Spiritualis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

horum ad rectè orandum, vti supra diximus, omnino necessaria est: itaque quoque mortificatio internarum passionum: vt meditans caueat sibi ab omni inquietudine, turbatione, molestia, & omni affectione inordinata erga quamcunque creaturam, atque semetipsum in vera pace & tranquillitate spiritus conseruet, illumque tati faciat, vt pro nulla re aut euentu mundi illius iacturam pati cupiat: Quia scriptum est: *Factus est in pace locus eius.* Et aqua si turbata fuerit, nihil in ea cerni potest. *Psal. 79.*

**LECTIO SPIRITUALIS ET
bona corporis dispositio.**

Spiritualis lectio meditationem & orationem mirificè promouet atque idcirco vnicuique ad manum esse deberent libri spirituales, quibus iuxta suam commoditatem & necessitatem stans temporibus vteretur. De his paulo post latius suo loco dicetur.

Sanitas verò & bona corporis dispositio, ita ad exercitiū hoc requiritur,

F S

ritur,

ritur, vt nihil ferè æquè sit necessarium. Etenim si corpus, quod est animæ instrumentum, in functionibus suis, languet, anima nunquam poterit rectè orare aut meditari: quemadmodum scriptor, si penna malè aptata sit, nunquam poterit litteras benè pingere. Maximè verò curandum est, vt caput benè se habeat.

DISCRETIO CVM RECTA
intentione.

QVAMVIS ad sanctum hoc orationis & meditationis exercitium, oporteat omnem diligentiam possibilem adferre, totum studium huc conferendo, vt omnia ad illud requisita singulatim obseruemus: nihilominus cauendum erit ab omni violentia indiscreta animi vel corporis, quæ nihil aliud est quam illusio diabolica, quo nos per indiscretionem debilitatos, postea ab orationis exercitio abstrahat: qualis est, lachrymas violenter exprimere